

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

48. 53

EPITHALAMIA
INHONOREM
NUPTIARVM ERVDI-
TIONE, PIETATE, ET VIR-
tute ornatissimi iuuenis Dn. Iohan-
nis Stigelij Cantoris Cotho-
niensis,

CVM
HONESTISSIMA,
ET PVDICISSIMA VIR-
GINE MARIA, HONORATI
& integerrimi viri Thomæ Molito-
ris civis Servestensis Sponsa, Ser-
vestæ matrimonium ineun-
tis 19. Iunij.

Scripta ab amicis.

SERVESTÆ,
Excudebat Bonaventura Faber,
Anno 1593.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
SAXONY-ANHALT
MAGDEBURG
1872





Non simul quæ corpore, mente, virgo est,
 Illa laudem virginitatis ullam
 Haud meretur, sed Veneri dicata

Virgo putatur.

Ergò gaude, dilige, sponse, sponsam,
 Mente, nec non corpore adeptus illam
 Virginem iunctam tibi, amice, fato &

Lege maritam.

Sic colas dulcem, Neonympha, sponsum.

Namq̃ par connubium adepta iusto es

Tempore, hinc tu carior es marito,

Atq̃ parenti.

Cumq̃ tali coniuge virgo pugnes

Neu precor, cui tradidit ipse carus

Te pater cum matre, quibus referre

Grata necesse est.

Tota non est virginitas tua unquam,

Sed parentum ex parte putatur ista.

Namq̃ matritertia pars tributa est,

Tertia patri.

Hinc tibi pars tertia sola restat:

Quare ne pugnare duobus ausis,

Iura caro qui genero simul cum

Dote dederunt.

Vos diu cæptos retinete amores,

Damna sic vos nulla manent, eruntq̃

Nulla, vestrum coniugiumq̃ longum

Stabit in ævum.

M. Balthasar Kisevvetter

I. S.

A 2

Felix

Felix coniugium ter quater, ac bonum,
Quo floret pietas, puraque castitas:
Et sincerus amor pectora coniugum
Irrupto thalami foedere continet.

Hinc candor fidei nascitur arctior;

Hinc mens prompta dati fata bonā, & fera;

Hic sepem stabilem mutua gratia

Ponit, sceptrā gerit, cunctaque sustinet.

Hic fortuna favens provehit omnia,

Cedant continuo ut sidere prospero;

Aspirat Venus hic ipsa laboribus,

Vt patrem maneat gloria nobilis.

Ævi per seriem non numera bilem.

Felices thalami, qui pia foedera

Hoc pacto subeunt, dia benignitas

Regnantis Domini stelliferam domum

Pleno cuncta penu his suppetit omnia,

Quæ vitæ ratio commoda postulat.

At quies non studium est, recta capessere,

Nec virtutis amor; nec pudor est comes,

Et dux consilij propositi; hi sine

Certa lege ruunt, per vetitum nefas,

Et foedus maculant coniugij sacrum.

Si vir iustitiæ flectit ab orbita,

Nec curat, ratio quæ iubet officij;

Si leges etiam foemina transilit,

Incestisq; animum reddit amoribus,

Nec credit scelus hoc esse gravissimum,

Lecti legitimi rumpere nuptias:

Infelix thorus est. Hic odium, & dolor,

Ac lis sæva habitant, livor & invidus.

Quanquam divitias, multaue iugera

Agri possideant fertilis: Attamen

Fortunæ variæ casibus obruti

Adversis

Adversis miserè tempera transigunt;
Optatoq̄ carent sidere, nec uigent
Multa progenie. Sed pater ætheris
Talis sæ difragos legitimi thori
Horrendo exitio pròruet, ut cito
Dignum flagitijs supplicium luant,
Ergo sponse cupis vivere si bene
Lecti cum socia: sidereum time
Patrem; vive piè; & iustitiam coles;
Nec tantum cupidus quære per impias
Artes orbis opes, delitias breves,
Quæ sunt exitio sæpe suo duci.
Sed sancti potius numinis artibus
Veris, ceu decet, incumbe fideliter;
Nam secum hoc studium commoda maxima
Affert: divitiæ quæ dare nequeunt.
Corrumpuntur opes, in nihilumq̄ erunt;
At verbum Domini perpetuo manet,
Solatur trepidas, erigit & pias
Mentes, astra viam monstrat ad ardua.
Tandem sacra thori foedera firmiter
Conservate pares, ne opprimat impetus
Ira pestiferæ legitimas faces.
Hoc si feceritis, vos bonitas Iovis
Nunquam destituet, sed dabit omnia,
Vitæ conditio quæ bona postulat.
Et florere tuam stirpe propaginem
Per multa faciet, quæ referet patrem
Vultus; quæ Dominum carmine concinet.
Sic nec pestis atrox, nec dolor anxius
Vestrum tristitia conquatiat thorum.
Securi in Domino figite spem; bona
Nam spes deseruit sub cruce neminem.

Abrahamus Spoererus Caligiensis.

A 3

Oppie-

Oppidulum est, nomen cui quondam fecit ahenum.
Si Soraborum spectes idiomatica linguæ.
Iudicium verò tibi si vulgare placebit,
Nomen conveniens illi arva dedere lutosa:
Huius enim, agricolas, antiqua ad mœnia, duros,
Vertere rura gravi glebosa videbis aratro.

Hic ales maculis circum variatus amœnis
Tempora, dulcisono ferit altum gutture celum.
Sed quia non illi, dubiis solamen amicum
In rebus, nec fida domi comes ulla pericli:
Pennarum celeri magnum per inane volatu,
Trans, veterum ad sedem Sorabum pervenit, Albim.
Et quam non poterat laribus reperire paternis,
Invenit hic lecti sociam, qua carior illi
Non est, qua, votum, torrentes fallere soles
Hosce, quibus linquit quamvis vestigia Phœbus
Solstitii, propius nec post sua lumina ad oras
Advertet nostras, radiis nec rectius anno
Arva suis uret præsentis: (Brachia namq[ue]
Oetipedis cancri septena luce pererrat.)
Non tamen ignivoma spirabit nare minores
Sed potius, rapidus, duplicabit, Sirius, æstus,
Qui se phœbeis socium mox ignibus addet.
Ergo avibus faustis, & sidere, cum, tibi, dextro,
Sponse, pares thalami consortem adsciscere Sponsam,
Vester & inter vos magis crescet mutuus ardor,
Flamma velut flamma, solet urere fortius, aucta.
Sis sol, illa, tuum, stella æstifera, urgeat æstum,
Ast ita ne exurat quæ pignora ventre fovebit,
Et toties Te prole beet, quoties Hyperion
Arva, cani Icaro iunctus comes, arserit æstu.

Christophorus Ludovicus Bernb.

Siquis inire cupit socialis foedus amoris,
Coniugii & casto sperat amore frui.

Ille

Ille dies noctesq; Deum per vota vocabit,
Coniugij auctorem, quò benè cæpta beet.
Imprimis roget ut sociam sibi fædere iungat,
Quæ pietatis amans, casta, pudica, decens.
Vxorem talem nam qui nanciscitur, ille
Ex omni certè parte beatus erit.
Nam tibi quid profunt bona plurima, si mala coniux,
Si fera, si turpis ducitur in thalamum?
Quæ cum deberet vitæ prohibere iugalis,
Efficit ut fiant deteriora, mala.
In terris igitur nihil est preciosius unquam
(Soli exceptâ cognitione Dei.)
Quam talis coniux: hæc à præsentè Tonante
Demissum celi munus ab axe venit.
Iugera, prata domos possunt conferre parentes,
Vxor at à Domino relligiosa venit.
Ergò ubi certus eras consortem ducere lecti,
Et notum, precibus pondus inesse, tibi.
O quoties imo duxti suspiria corde,
Fudisti & tales pectore & ore sonos.
Quam pietas ornat, sociam, quæ casta, pudica est
Quæq; decens, thalamo nunc mihi iunge Deus.
Vxor namq; pia est multo preciosior auro,
Et dotata satis, si qua pudica venit.
Audiit en Deus & fuit in tua vota benignus,
Audiit, & iussit pondus habere preces.
En tibi quod supplex, pia numina sæpè rogasti
Accipis hoc ipso, sponse beate, die.
Nam tibi quæ faustis avibus nunc ducitur, ecce
Est tantis animi prædita sponsa bonis.
Prædita sponsa bonis animi est tua; namq; Maria
Intrabit thalamum virgo pudica tuum.
Annon ante alios felix habearis I A N E,
Qui tam præclarum nactus in orbe bonum es?
Nam:

Nam non illa bonis est saltem prædita mentis,
 Verum etiam veris corporis aucta bonis,
 Si formam spectes, quis non præconia sponsæ,
 Quis nollet laudes dicere quæso tuæ?
 Namq; hanc donavit facie Dea Cypria clarâ,
 Ornarunt Charites singula membra Deæ.
 Est aliquid, fateor, formâ præcellere honestâ,
 Inde etiam sumit tela Cupido sua;
 Imprimis genus hac etiam muliebri superbit,
 Ingentis dotem & ponderis esse putat.
 Fallitur ad formam qui saltem & munera spectat,
 Fortunæ, dotem, & nobile stemma domus.
 Fallitur haudquaquam quis spectat munera mentis,
 Hæc etenim nunquam sunt peritura bona.
 Forma bonum fragile est, folijsq; æquanda caducis,
 Atq; volans parvo hæc tempore nulla manet.
 Quem verò pietas, & virtus suscitât ignem,
 Ille manet constans, ille perire nequit.
 Ergò Deo grates toto de pectore fundens,
 Illius æternâ nomina laude vehe.
 Et cape consortem tantis virtutibus auctam,
 Quam tibi legitimus consociavit amor.
 Hæc tibi, qui cruciant animum, lenire dolores
 Scit, novitq; tuo corde fugare malum.
 Hæc si reddiderit te cura scholastica fessum,
 Sanabit duri triste laboris onus.
 Hæc tua te quando fortuna fatigat iniqua,
 Blanditijs reddet pectora læta suis.
 Gratulor ergò tibi de tali, sponse, maritâ
 Inter amicitia pignora, care mihi,
 Gratulor atq; precor pariter tibi prospera quævis
 Ut ferat antennas aura secunda tuas.
 Iurgia nulla torum tædas nec tædia lædant,
 Incidat & vestro nulla querela toro.

Aspiret

Aspiret Dominus thalamis tot commoda vestris
Quotquot melli feras gignit Hymettus apes,
Vobis excelsâ benedicat Iova Sione,
Cernatis natos, pignora cara tori.
Vive valeq; diu cum sponfa, fœdera Christus
Fortunet lecti, vive valeq; diu.

εὐχὴ νεονύμφων.



*Vi Christe sanxte fadera.
Sacri tori dignissima,
Et carne iussisti, duo
Vivant in una, ut corpora.
Olim Cana es qui nuptijs
Adesse dignatus pijs,
Dans ex liquore aquæ merum
Sponsis novis dulcissimum.
Ut iura coniugalia,
Tori & probares fadera,
Et testis esses hunc statum
Vitæ tibi gratissimum.
Huc ergò ades nobis DEUS
Et nostra quæ iam mittimus
Adastra, vota simplice
Ex corde clemens suscipe,
Intramus ecce limina
Domus tuæ, novi, sacra,
Sponsi, volentes fadera*

B

Tori

Tori subire iugalia.

Hac, usus ut docet, sine

Te, capta non cedunt bene:

Abs tequeunt nec exitum

Habere vita prosperum.

Tu condidisti coniugem

Iunxi atq; Adamo amabilem,

Consors ut illius foret

Curisq; fessum recreet.

Nunc, qua sumus, duo hac quoq;

Sancto tuo Spiramine.

Amore iunge corpora,

Et bina iunge pectora.

Depelle saeva iurgia,

Et qua toro huic sunt noxia,

Cingat torum pax candida,

Hunc muniat Concordia.

Celestis aula nuncij

Nobis ut adsint effice,

Nocere ne vis Demonis

Nobis queat saeva Asmodis:

Si forte prauus est homo

Turbare qui vult fadera,

Hunc perde, nam concordiam,

Vult.

Vult vertere in discordiam.

Fac ut vivamus tempora
Vita beata plurima,
Adversa cumq; nos mala
Premant, iuva mox dexterâ.

Videre nobis pignora
Lati tori da dulcia
Qua te colant sincerrimè
Amentq; toto pectore.

His copia cum divite,
Largo simul cum fanore,
Largire vita commoda,
Quis in digebit, maxima.

Et cum peractus ultimus
Cum sorte vita terminus
Per cuncta transfer aspera
In regna nos celestia

Sic laus tibi, sic gloria
Dabitur tibi per secula
Nos & canemus dulcia.
Semper tibi praconia.

Ernestus praetorius Cosvicensis.

Spon.



Sponsus ut æterni soboles æterna parentis
Sponsæ Ecclesiolæ constanti fervet amore,
Quam fovet adversus duros Cacodæmo-
monis astus,
Nec finit hanc unquam fortuna plectier
atra:

Sic sit vester amor, tangat vos mutuus ardor.
Quod tibi Amice precor, precor & tibi Sponsa: Maria,
Vna ut mens vobis adsit, sit & una voluntas,
Sponsa, precor, Sponsum non ficto corde perennè
Diligat, & Sponsus Sponsam amplectatur amore.
Connubium felix longinquo floreat ævo,
Quò vestrum florere genus non desinat unquam.
Sic sine lite torus, iungit concordia mentes,
Pax & amor mensam vestram, & nova gaudia pascant,
Hoc tibi, Sponse precor, precor hoc tibi Sponsa Ma-
ria,

David Vuolfius Servest:

F I N I S.



Nov 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808




nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M





B.I.G.

Farbkarte #13

EPITHALAMIA
INHONOREM
NUPTIARVM ERVDI-
TIONE, PIETATE, ET VIR-
tute ornatissimi iuuenis Dn. Iohan-
nis Stigelij Cantoris Cotho-
niensis,

CVM
HONESTISSIMA,
ET PVDICISSIMA VIR-
GINE MARIA, HONORATI
& integerrimi viri Thomæ Molito-
ris civis Servestensis Sponfa, Ser-
vestæ matrimonium ineun-
tis 19. Iunij.

Scripta ab amicis.

SERVESTÆ,
Excudebat Bonaventura Faber,
Anno 1593^a

48. 53

